

Q. 20. *Quandonam singulae ex septem Horis ad recitationem Officii divini fuerunt instituta?*

R. Prænotatur quod statuta precum tum diei, tum noctis momenta jam in Sacris Scripturis indicantur; etenim certas horas oratione sanctificare jam in Veteri Testamento solemne et usitatum erat. In Libro I Paralipomenon (Cap. XXIII, v. 30) Levitis injungitur « ut stent mane ad confitendum et canendum Domino: similiterque ad vesperam. » Et in Psalmo CXVIII, Psalter dicit v. 164: « Septies in die laudem dixi tibi »; et v. 62: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Ex Actibus Apostolorum constat quod horæ tertia, sexta et nona diei erant horæ orationis; item quod oratio nocturna sanctificata exemplo Christi Domini (Luc. Cap. VI, v. 12) usitata his temporibus erat. « Erant omnes pariter in eodem loco.... hora diei tertia » (Act. Cap. II, v. 1, 15). « Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam » (Ib. Cap. X, v. 9). « Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam » (Ib. Cap. III, v. 1). « Media autem nocte, Paulus et Silas, orantes, laudabant Deum » (Ib. Cap. XVI, v. 26).

Ad positam quæstionem responderi potest summam: Vigiliæ nocturnæ, institutæ tempore persecutionum, servabantur primitus in quibusdam tantum solemnitatibus, sed Romæ sæculo V jam reperiuntur singulis noctibus servatæ.

Prima introducta fuit sæculo IV exeunte, apud monachos Palestinæ, tamquam oratio matutina post requiem dictis Laudibus Matutini concessam.

Ab ipso sui exordio Ecclesia, quæ in orando fuerant Apostolis solemniore horæ, Tertiam, Sextam et Nonam, inde vocatas Apostolicas, orationis dicavit exercitio, privato potius tamen tantum; publici enim conventus quotidiani in Ecclesia his horis ante sæculum tertium regulariter non introducti videntur.

Vesperarum officium primitus initium videtur fuisse Vigiliæ nocturnæ, et sæculo VI primum separatum a Matutino et distinctum reperitur.

Constitutiones Apostolicæ sex horas diurnas jam commemorant: « Precationes facite mane, tertia, sexta,

nona hora, vespere, et in gallicantu. » (Lib. 8, Cap. XXXIV). Hora cantus gallorum nuntiat adventum diei, ad facienda opera lucis.

Completorii tandem in Occidente primus institutor videtur fuisse S. Benedictus († 543).

Sæculo VI Romæ efformari cœpit regularis nocturnus atque diurnus cursus, qui sæculis VII et VIII in Basilica S. Petri ad expletam formam perfectus, inde ad orbem Catholicum mox propagatus fuit, et ad nos usque in sua eximia forma, mutatis successu temporis particulis, pervenit.

(Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*. Paris, 1893; U. Chevalier, *Poésie liturgique*. Tournai, 1894; Duchesne, *Origines du culte chrétien*. Paris, 1889.)

## CAPUT II

### De partibus Officii divini speciatim

#### SECTIO I

##### De elementis Officii materialiter sumpti

#### ARTICULUS I

##### De partibus seu elementis quæ pertinent ad Psalmodyam

#### § I. PSALMI

Q. 21. *Quisnam dicitur ecclesiasticus ordo Psalmorum in Officio divino? Explica.*

R. Prænotatur: Psalmi potissima semper fuerunt Christianarum precum pars: in id enim semper intenti fideles fuerunt, ut e Scriptura peterent preces ad Deum fundendas, eumque laudarent ea ratione quam Spiritus sanctus divinitus inspiravit. Complures totum Psalterium quotidie recitabant. (Cfr. Lectio VI Officii in Festo S. Patritii, 17 Martii.) Ea de causa etiam Ecclesia diei noctisque Officium præsertim ex Psalmis



composuit. S. Benedictus ordinavit singulis hebdomadibus totum Psalterium in Officio persolvi, Psalmosque ita distribuit ut per hebdomadam omnes recitarentur.

Respondetur : Ecclesiasticus ordo Psalmorum ille dicitur juxta quem distribuuntur Psalmi in Breviarii Psalterio per hebdomadam disposito, pro Officio de Tempore in Dominicis et in Feriis. Ita distributi sunt in eo ordine Psalmi, ut alii sint matutinales, vespertinales alii ; matutinales ii sunt qui in Matutino, in Laudibus, in Prima et in Completorio inveniuntur, vespertinales vero reliqui per Vesperas dierum hebdomadæ dispertiti. In ea distributione regula servatur, ut nulli umquam Psalmi matutinales pro Vesperis, neque vicissim vespertinales pro Matutino assignentur. Paucos si excipias, matutinales sunt Psalmi 1 ad 108, vespertinales vero Psalmi 109 ad 147. Singularis est Psalmus 118 : *Beati immaculati etc.*, qui quotidie per partes divisus dicitur in Horis diurnis Prima, Tertia, Sexta et Nona ; de eo dicitur postea Q. 58.

In Festis dicuntur diversi Psalmi, ut in propriis locis signantur ; alioquin, ut in Communi Sanctorum.

Ut Psalmus alicui Festo uti proprius adjudicari possit, sufficit ut unus vel alter versus faciat ad Mysterium vel Sanctum de quo Festum peragitur.

(Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900. 1<sup>o</sup> Partie, Chap. II.)

Psalterium recitatur juxta editionem Vulgatam, sæculo XV exeunte jam pro Breviario loco Italæ assumptam, et a S. Pio V in reformatione Breviarii retentam ; excepto unico Psalmo 94 : *Venite, exsultemus Domino*, qui Invitatorius dicitur ; hic recitatur quotidie juxta editionem Italam, et in solo Festo Epiphaniæ juxta Vulgatam. « Ut sacræ Vulgatæ editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones et distinctiones in sacris Bibliis appositae, additus est Asteriscus \*, ut sit nota musicæ partitionis in medio Versu. » (Rubricæ generales Breviarii Romani, Tit. XXII, n. 8.)

Q. 22. Quomodo concluduntur Psalmi in Officio divino ?

R. Psalmi concluduntur hymno glorificationis SS. Trinitatis : « *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum.*

*Amen.* » Excipiuntur tantum Psalmus *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*, et Psalmus *Laudate Dominum de caelis*, cum sequenti *Cantate Domino*, in Laudibus, qui conjunguntur cum aliis Psalmis, et in fine ultimi tantum dicitur : *Gloria Patri*, ut suis locis notatur ; præterea non dicitur in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, nec in Officio Defunctorum. (Rubricæ generales Breviarii, Tit. XXII, n. 7.)

Hic Hymnus vocatur Doxologia minor, ad differentiam hymni angelici *Gloria in excelsis Deo*, quem Doxologiam majorem dixerunt. Prior pars jam ab Apostolis composita dicitur ; Damasus Pontifex Maximus († 384) statuit ut in fine cujusque Psalmi diceretur : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*. (Vide ejus vitam in Breviario, 11 Decembris ; Lectio VI.) Appendix : *Sicut erat, etc.* a Patribus Nicænæ Synodi fuit addita contra Arianos, asserentes fuisse tempus cum Filius non erat cum Patre. Omni tempore cum maxima semper veneratione pronuntiatus fuit hic hymnus, aliis se inclinantibus, aliis se vertentibus ad Orientem.

Q. 23. Quid notandum venit de Canticis quæ dicuntur in Officio divino ?

R. Cantica etiam in Officio accepit Ecclesia septem e Veteri Testamento, et septem hebdomadæ diebus pro Matutinis Laudibus assignavit ; e quibus Canticum trium puerorum *Benedicite* (Daniel, Cap. III), quod festivum est, in Dominicis, et etiam toto tempore Paschali, et in omnibus Festis locum obtinet ; reliqua autem diversi argumenti in Feriis recitantur, scilicet : Feria 2 Canticum Isaïæ Prophetæ (Cap. XII) ; Feria 3 Canticum Ezechïæ (Isaïæ, Cap. XXXVIII) ; Feria 4 Canticum Annæ (I Regum, Cap. II) ; Feria 5 Canticum Moysis (Exod., Cap. XV) ; Feria 6 Canticum Habacuc (Cap. III) ; Sabbato Canticum Moysis (Deuter., Cap. XXXII) ; — tria vero e novo Testamento, scilicet *Benedictus*, *Magnificat*, et *Nunc dimittis*, quæ quotidie recitantur respective in Laudibus, in Vesperis et in Completorio ; quæque Evangelica dicuntur quia ex Evangelio sunt deprompta : et ideo stant omnes dum illa recitantur, et ad eorum initium signo Crucis se si-



gnant, tam in Choro, quam extra Chorum, juxta laudabilem communem praxim servatam. (S. Rituum Congregatio. Decret. 20 Decembris 1864, n. 3127, antiq. 5339; et 13 Aprilis 1867, n. 3156, antiq. 5380.)

## § 2. ANTIPHONÆ

Q. 24. *Quid intelligitur per Antiphonas, et quomodo in divino Officio dicuntur?*

R. I. Antiphonæ in Officio divino hodie vocantur illæ breves preces, vel sententiæ, quæ ad omnes Officii Horas dicuntur cum Psalmis; in aliis Horis singuli Psalmi habent suam Antiphonam, in aliis vero una tantum datur Antiphona pro pluribus Psalmis. In Officio solemnī Antiphonæ decantari debent ad leges musicas, et juxta earum cantum seu symphoniam modis variis Psalmi etiam decantantur.

Antiphona græcum est vocabulum: φωνή vocem, et ἀντί oppositionem seu vicissitudinem significat; unde idem est ac vox opposita seu contrasonans, et pro illa vocum reciprocatione accipitur, qua bini cantorum Chori cantum alternant, ita ut chorus choro respondeat.

Antiphonatim Psalmos cantare primum significavit quod duo Chori alternatim diversos Psalmorum versus cantabant; ad differentiam generis psallendi Psalmos responsorios, quo Cantor versus Psalmi cantabat, reliqui autem de Choro formulam seu versum, dictam acrostichion post singulos Psalmi versus repetebant; ad modum fere qui servatur hodie ad Psalmum Invitatorium: *Venite exultemus*, in initio Matutini.

Romæ autem sæculo VIII Psalmos antiphonatim cantare significavit ita eos cantare, ut Antiphona seu brevis formula repetatur post singulos aut binos versus Psalmi: Chorus cantabat versus Psalmi, Cantores vero modulatam formulam repetebant alternatim ex utraque parte, quemadmodum hodie servatur ad Psalmum *Venite, exultemus* in tertio Nocturno Festi Epiphaniæ, necnon ad Canticum *Benedictus* in Dedicatio- ne Ecclesiæ, et ad nonnullos Psalmos in Consecratione Altaris.

Hæc formulæ repetitio primitus ad plures Officii Psalmos, postea præcipue ad Cantica *Benedictus* et *Magnificat* in Laudibus ac Vesperis servata, mox cessavit, et postea ad initium et finem Psalmi aut Cantici tantum integra pronuntiari consuevit; et cum discrimen Officii duplicis vel semiduplicis fuit introductum, ante Psalmum aut Canticum tantum inchoari, et in fine Psalmi integra dici cœpit in ritu semiduplici et feriali. Unde habemus regulam Rubricarum sequentem:

II. « In duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantum, Antiphonæ dicuntur ante Psalmos vel Cantica integræ, et post Psalmos vel Cantica integræ repetuntur: in aliis Horis, et in Officio non duplici, in principio Psalmi, vel Cantici, inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. » (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 7.)

Super quo observandum est, ut initium Antiphonæ, quando solum incipitur, non sit unius syllabæ, neque ita præcise enuntiatum, ut auribus dissonet. In diversis editionibus Breviarii diverse notatur asterisco pars Antiphonæ inchoanda ante Psalmum; editio autem anni 1885 uniformitatem hucusque desideratam præbet.

Q. 25. *Quales, ratione textus, distinguuntur in Officiis divinis Antiphonæ?*

R. Antiphonæ distinguuntur aut scripturales, aut psalteriales, aut historicæ, aut mixtæ.

Scripturales sunt sententiæ ex libris tum Veteris tum Novi Testamenti desumptæ. Exempla harum habemus in Festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et SS. Apostolorum Petri et Pauli. Inter scripturales speciatim dicuntur Psalteriales, quæ desumuntur ex ipso Psalmo ad quem apponuntur; quales sunt pleræque in Nocturnis et in Vesperis Dominicæ et Feriarum, necnon in Officiis de Communi Sanctorum. Ipsæ exhibent in una sententia plerumque totam aut præcipuam totius Psalmi substantiam.

Historicæ illæ dicuntur quæ ex historia Mysteriorum, vel Sancti cujus Festum peragitur, carptim delibutæ per singulos Psalmos distribuuntur; cujusmodi sunt Antiphonæ Festorum S. Andreæ Apostoli, S. Laurentii, SS. Joannis et Pauli, S. Clementis, S. Cæciliæ, S. Agnetis, S. Martini.

Mixtæ demum illæ vocantur quæ vel ex Psalmis, vel ex alio Scripturæ loco decerptæ, paucis verbis additis, vel mutatis aut transpositis, ad rem Mysteriorum vel Sancti traducuntur. Tales reperiuntur in quibusdam Officiis B. Mariæ Virginis, ex. gr., Assumptionis.

Scripturales stricte dictæ et mixtæ sæpe expriment



totius Psalmi ideam principalem, et rationem ob quam ut proprius Officii vel Festi sit assignatus.

## § 3. VERSUS

Q. 26. *Quid est Versus? Ubinam dicitur in diversis Horis?*

R. I. Versus est brevis sententia, festo vel tempore congrua, ex Sacra Scriptura fere semper deprompta. Constat versu proprie dicto (V.), qui est ad instar invocationis ad Deum, et dicitur a cantore vel lectore; et responso (R.), quo populus, versu veluti excitatus, sensum eundem sua vice exprimit.

II. Dicitur: ad Matutinum, post ultimum Psalmum et Antiphonam uniuscujusque Nocturni, antequam dicatur *Pater noster*, et pronuntietur Absolutio; — ad Laudes et Vesperas, post Hymnum; — ad reliquas Horas, in fine Responsorii brevis; — in Commemorationibus faciendis, ante Orationem. (Rubricæ generales, Tit. XXIV, nn. 1 et 3.)

Versus a vertendo dicitur, — vel quia ad ejus cantum se omnes olim vertebant ad Orientem, aut ad Altare; — vel quia, quando auditur, facilius cogitatio transit de præcedenti affectu ad sequentem; siquidem Versus excitet corda cantantium eorumque intentionem, ad requirendum cum majori devotione faciem Dei in subsequenti Oratione.

Etenim in Nocturnis excitamur ad Orationem Dominicam et Absolutionem; ante Cantica Evangelica excitamur ad eorum intelligentiam, et ad proximam Orationem; denique ante Orationem et in Commemorationibus semper adhibetur Versus ut Oratio ferveat.

## § 4. ABSOLUTIONES

Q. 27. *Quid est Absolutio? Quotuplex occurrit in Horis? Unde nomen habet?*

R. I. Absolutio est aliqua brevis deprecatio facta sub finem Psalmorum cujusque Nocturni.

II. Triplex hujusmodi deprecatio describitur in Breviario; — vel pro quolibet Nocturno Matutini, in Officio quod novem Lectiones ad Matutinum habet; scilicet: in primo Nocturno dicitur Absolutio: *Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, et miserere*

*nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. R. Amen*; in secundo Nocturno: *Ipsius pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. R. Amen*; in tertio Nocturno: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus. R. Amen*; — vel pro diversis hebdomadæ Feriis, cum unus tantum Nocturnus dicitur; nam si fiat Officium trium Lectionum, Absolutio sumitur hoc ordine: Feria secunda et quinta dicitur Absolutio primi Nocturni (*Exaudi*); Feria tertia et sexta, secundi Nocturni (*Ipsius pietas*); Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni (*A vinculis*).

In Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum Absolutiones numquam dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. XXV, nn. 1 et 2.)

III. Vocatur **Absolutio** — vel a prece absoluta, qua primitus Nocturnus terminabatur, cum nondum Lectiones addebantur; etenim antiquitus post dictos Psalmos instituebatur aliqua quasi mentalis oratio, cujus locum hodie tenet Oratio Dominica; cui orationi finem imponebat, seu quam solvebat qui præerat, omnium vota colligens in brevi orationis formula; — vel dicendum triplicem illam Orationem Absolutionis nomine appellari, sumpta denominatione a nobiliori quæ dicitur post recitatos Psalmos tertii Nocturni, in qua continentur ea verba: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos, etc.*

Hujusmodi breves deprecationes etiam terminant Primam et Completorium, sed in his Breviarii locis designantur sub nomine **Benedictionis**. Aliæ vero Horæ omnes terminantur propriis diversisque, secundum tempus vel festum, Orationibus.

## ARTICULUS II

## De partibus quæ pertinent ad Lectiones

## § I. LECTIONES IN NOCTURNIS MATUTINI

Q. 28. *Quænam fuit antiqua, et quænam est hodierna disciplina de Lectionibus in Matutino?*

R. I. Romæ olim in Missa tantum, non vero in no-